

# VIRGILE – ÉNÉIDE, VI, 724-751 – VISION PYTHAGORICIENNE AUX ENFERS

Principio caelum ac terras camposque liquentes  
725 lucentemque globum lunae Titaniaque astra  
spiritus intus alit, totamque infusa per artus  
mens agitat molem et magno se corpore miscet.  
Inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum  
et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.  
730 Igneus est ollis vigor et caelestis origo  
seminibus, quantum non noxia corpora tardant  
terrenique hebetant artus moribundaque membra.  
Hinc metuant cupiuntque, dolent gaudentque, neque auras  
discipiunt, clausae tenebris et carcere caeco.  
735 Quin et supremo cum lumine vita reliquit,  
non tamen omne malum miseris nec funditus omnes  
corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est  
multa diu concreta modis inolescere miris.  
Ergo exercentur poenis veterumque malorum  
740 supplicia expendunt : aliae panduntur inanes  
suspensae ad ventos, aliis sub gurgite vasto  
infectum eluitur scelus aut exuritur igni :  
*quisque suos patimur manes*<sup>1</sup>. Exinde per amplum  
mittimus Elysium, et *pauci laeta arva tenemus*<sup>2</sup>  
745 donec longa dies perfecto temporis orbe  
concretam exemit labem, purumque relinquit  
aetherium sensum atque aurae simplicis ignem.  
Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,  
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno,  
750 scilicet immemores supera ut convexa revisant  
rursus, et incipient in corpore velle reverti.

1 « Chacun de nous subit ses propres manes » = son traitement particulier dans l'au-delà.

2 « Et nous sommes peu nombreux à séjourner dans les champs bienheureux » : cette expression, qui fait difficulté, semble indiquer un traitement particulier pour une minorité (dont fait partie Anchise), qui va pouvoir séjourner définitivement dans les champs Elyséens, tandis que la grande majorité des âmes va devoir subir un nouveau cycle de réincarnations.